



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 116. Isidorus Cardinalis captus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV:  
A. C. 1453.

## §. CXVI.

*Isidorus Cardinalis captus.*

Inter captivos potissimum erat Isidorus Cardinalis, qui, ut alibi meminimus, a Nicolao V. Pontifice Constantinopolim ablegatus est, ut decretum unionis ibidem promoveret. Idem re licet minus prospere gesta, noluit Imperatorem deserere, sed Constantinopoli remansit usque ad urbis expugnationem, spe fretus, Græcos tandem ad unionem Ecclesiæ reverfuros. Cum vero urbem undique expugnari cerneret, mutato habitu, & vilibus vestibus induitus fugientium turmis sese immiscuit, & Peram se duci curavit, ubi tanquam ignobilis, & obscuræ fortis homo vili pretio libertatem suam a Turcis Cardinalitiam illus dignitatem ignorantibus obtinere sperabat. Refert Chalcondyles, quod Isidorus, quis esset, haud agnitus a Turcis captus fuerit, ac Peræ venditus, inde recuperata libertate in Peloponesum profugerit. Sylvius *Aen. Sylv.* vero rem sigillatim recensens ait, quod *comment.* Cardinalis inter occisorum acervos cui-dam, quem sibi consimilem viderat, vestimenta abstulerit, illudque cadaver Cardinalio suo cultu induerit, rubro galero supra mortuum temere demisso; Turcæ autem hoc errore decepti, huic cadaveri

A a 4 caput

Sæcul. XV. caput absciderint, illudque hastæ inf.  
A. C. 1453. xum unacum pileo per urbem circumtu-  
lerint, clamante præcone, id Isidori Car-  
dinalis caput esse. Juxta aliorum vero  
relationem Isidorus quinquaginta aureis  
libertatem suam Peræ einit, inde vero in  
Persiam cum Turcarum triremi trajecit,  
atque fixit se pauperem captivum esse,  
& pecunias colligere, quibus filios suos  
itdem Constantinopoli captos redimere  
valeret; Cum autem inde iter ageret, a  
quibusdam Genuensis agnitus est, ac  
ne proderetur, veritus, parvam cymbam  
concedit, qua vectus primo in Insu-  
lam Chium, inde Cretam, ac demum Ro-  
mam ad summum Pontificem pervenit.

## §. CXVII.

*Notaræ magni Ducis Constantino-  
politani exitium.*

Multo iniquior fuit Notaræ Ducis for-  
tuna. Erat ille ex spectatissimis Se-  
natoribus primus, supremus classis Prä-  
fetus, ac summæ auctoritatis Vir. Ve-  
rum Latinos, unaque unionis decretum  
tam insano insectabatur odio, ut urbem  
*Ducas e. 37.* ob innumeræ Sultani copias ingenti ter-  
rore perculsam comperiens, insolenter  
adhuc exclamaret, malle se Turcicum  
pileum, quam alicujus Cardinalis latini  
galerum urbi Constantinopolitanæ domi-  
nantem